

✠ P E T R I R A M I

R E G I I E L O Q V E N T I Æ

*Philosophiæque professoris oratio,
initio suæ professionis habita, anno
1551. octauo Calend. Septemb.*

A D

CAROLVM LOTHARINGVM CARDINALEM:



P A R I S I I S,

*Ex typographia Matthæi Dauidis, via
amygdalina, ad Veritatis insigne.*

I 5 5 I.

✠ CAROLO LOTHARINGO
Cardinali, Mecœnati suo Petrus Ramus S.

Mitto ad te professionis nostræ præfationem,
in tanta hominum frequentia habitam, vt non
modo de concione permulti penè exanimati sub-
ducti sint, sed ipsum oratorem ex tam multiplici
támque denso spiritu halitúque orta rauis prope-
modum oppresserit. Itaque leges nōnulla quæ duo
millia hominum laudem tuæ virtutis audientiū
non audiuerē. Vale.



PETRI RAMI
ELOQVENTIÆ PHI-

losophiæq; professoris Regij Oratio.



*V*AE res sunt, Audito-
res, quas initio professio-
nis nostræ unusquisque
vestrū à nobis expe-
ctare videatur: impri-
mis vt gratias agamus
iis, per quos in hunc locū
venimus, deinde muneris officiūque nostri ratio-
nem vobis exponamus. Ad sextum igitur Ca-
lēdas Augusti, cū Blesius Carōlus Lotharingus
Cardinalis, disciplinæ nostræ causam (quam etsi
antea amplissimè cognitā, tamē Lutetia trās-
iens, & domi priuatim ex vtrisque partibus, & pu-
blicè in foro ex partium oratoribus sententiāque
Iudiciū amplius recognouerat) ad Henricū Regē
retulisset: Regi placuit, vt in numero atq; ordine
Regiorum professorū essemus, atque ex instituto

a. ij.

nostræ disciplinæ Eloquentiam simul Philosophi-
amque doceremus: idque nobis per epistolam sin-
gularibus & honorificis verbis conscriptam de-
nunciauit. Quamobrem Henrico Valesio Regi
Christianissimo maximas gratias habeo, habebó-
que dum viuā. Enimuero, Auditores, si quis ino-
pum liberorum pater argētum, aurum, magnasq;
& preciosas maiorum suorum opes alicubi negle-
ctas inuenisset, & tamen propter saxa & asperi-
tates neque domū comportare, neque cum liberis
cōmunicare posset, tandem Verò Hercules aliquis
miseram patris fortunam miseratus, locum saxis
& asperitatibus perpurgaret, summamque tol-
lendi, largiendi, fruendi copiam faceret, quibus
gaudiis tam fortunatus pater exultaret? quas illi
Herculi gratias ageret? At Verò pater ille miser
annos aliquot fui, discipulos multos curæ diligen-
tiæque meæ commissos habui, Eloquentiæ Philo-
sophiæque magnas & preciosas opes veterum &
oratorum & poëtarum & philosophorum mo-
numentis quasi testamentis relictas aspexi, sed
hæredum incuria neglectas: quas cum ratione
& via componere, ad vsum vitæ cōgruenter ex-
ercere, discipulis diuidere cuperem, incredibiles
rerū asperitates conatibus nostris obiectæ & op-
positæ sunt, imò Verò ne caperem, manus mihi

Vinctæ sunt, ne cuiquam indicarem, os mihi occlusum est, prohibitusque sum de illis opibus quicquid vel voce, vel scriptura prodere. Interea misero Rex Henricus, Hercules videlicet Gallicus, adfuit, meque quarto abhinc anno ad postulationem Caroli Lotharingi Cardinalis, & manibus & lingua soluit, solutoque Eloquentiæ & Philosophiæ docendæ, exercendæ, illustrandæ potestatem fecit, proximisque superioribus diebus, cum veteres molestias nobis renouari & vehementiores etiam creari cognosceret, virtutem quoque & bonitatem suam largius & magnificentius exprompsit, laboresque nostros non solum liberos, sed Regiis etiam stipendiis ornatos esse voluit.

Quapropter Henrice Rex Christianissime, si tibi vitæ, quæ hoc corpore continetur, debere me dicam, quod liberas, quod alis, quod ornas, parum dicam: animi, qui corpore longè charior est, animi inquam vitam potius debeam, cuius labores ac vigiliæ beneficiis tuis aluntur & viuunt, & ut spero præcones tuæ laudis posteris seculis alentur ac viuunt. Plato lanificij cuiusdam textori Regem similem facit, regiæque texturæ stamen in fortitudine ciuium, subtegmen in temperantia statuit, regiæque ad eos mores inter se diuersos complicandum & contexendum gemina vincula tribuit: humana,

in corporum fortium cū temperatis connubio
 & coniunctione: diuina, in laudandarum & ho-
 nestarum artiū institutione, quibus animi fortes
 mansuescunt, temperantes excitantur. Ac cū
 multa sint à Carolo Magno & posteris inde Re-
 gibus ad Regni salutem & dignitatem diuinitus
 instituta, nil tamen ab illis diuinius factum est,
 quàm quòd per vniuersam Galliam tot nobiles
 Academias omnium scientiarum magistras in-
 stituerūt. Tantum bonum Rex Franciscus, vt in-
 genio singulari, & omnium excellentium artium
 amantissimo fuit, acutissimè perspexit, cū per
 Gulielmū Budæum, hominem vsquequaque do-
 ctissimum, doctos linguarum & disciplinarum
 professores in hac amplissima orbis terrarū Aca-
 demia collocauit. Ergo Henrice Rex Christia-
 nissime diuina hæc Regni tui vincula à maiori-
 bus tuis Franciæ nostræ Regibus instituta, à patre
 Francisco studiosius exculta, retine & amplifica.
 Duæ summi Regis propriæ sunt artes,

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Verū è duobus altero maius illud est,

Parcere subiectis paciſque imponere morem.

Britānos, gentem bello superbam & nobile regni
 tui finibus summouisti, summos (quod maius
 est) pacis fœdere tibi sociasti, Vicinæ gētes Hērici

virtutem formidant, vel potius (quod multo lau-
 dabilius est) verentur atque amant. Quare non
 solum virtute & armis hostes reprimere, sed mul-
 to magis pacis artibus ac studiis beatissimam tot
 populis regno tuo subiectis vitam contexere per-
 seuera. *Ἐπεὶ δὲ*, ut ait idē heros ille noster Plato,
πάντων μεγαλοπρεπέστατον ὑφασμάτων καὶ ἄριστον.
 Hæc enim textura est omnium magnificētissima
 & optima. Secundus gratiarū locus, Auditores,
 Carolo Lotharingo Cardinali debitus est, qui se
 mihi simul atque novit, amore literarum Mecœ-
 natem, studio levandæ virtutis auxiliōque patro-
 num & defensorem præbuit, nec perexigua in-
 genij mei facultate potius illectus, quàm mirabili
 quadam suæ & naturæ & disciplinæ præstantia
 inductus. Dicam verò, assentationis suspensionem
 nil veritus, cum viventium præsentiumque per-
 multorum memoria testis orationis meæ fidē ma-
 ximam factura sit. Fuit, Auditores, Carolus Lo-
 tharingus à teneris annis doctrinæ virtutisque
 studiis tantopere deditus, ut omnes qui videba-
 mus, flagrantem iuuenis animum, miraremur.
 Attētio in doctore audiēdo, meditatio in eo quod
 prælectum esset, ediscendo, sollicitudo in expositi
 authoris exēplo imitando, contentio in omni ge-
 nere scriptionis & dictionis exercendo summa

fuit, Horatianumque illud animo penitus infixum
& impressum habuit,

Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer sudavit & alsit.

Nunc verò nuper etiam, licet in occupatissima vita, tamen elegiam ab eo verbis & sententiis elegantissime scriptam legimus, tam solidus bene fundatæ doctrinæ fructus est. Non puduit in schola cinctum esse, non ad sonitum tintinnabuli gymnasticis moribus & legibus obtemperare: gloriosum putavit ut dignitate & gloria summos, sic obsequio modestiæque infimos superare, adeo ut toto gymnasio pædagogi & magistri adhortationis exemplum ab eo sumerent, discipuloque tardiori dicerent, Carolum Lotharingum imitare. Pueritiæ deinde doctrinis informatus, quavis ad res maiores capefendas vocaretur, tamen & Philosophiam, & Iurisprudentiam & Theologiam summis doctoribus adhibitis cognovit & percepit. Nec certè amplitudo generis (in quo sunt Hierosolymitani, Siculi, Neapolitani, Arragonenses reges, ut tot duces comitesque prætermittam) aliud ei quicquam fuit, quàm animi amplitudo ad dignam maiorum suorum titulis & stemmatis virtutem consequendum. Quapropter tantis & naturæ & industriæ bonis ornatus, non solum à doctis & bonis coli &

amari cœpit: sed ipse imprimis omnes, in quibus aliquid simile sui videret, colere atque amare voluit. Itaque cum salutarem, aliquādo etiam (quæ summa eius humanitas semper fuit) vna colloquerer & sermones cōferrem, complexus me est, ex eoque tempore nunquam deseruit. In nostris acerbissimis temporibus (quæ antea breuiter attingi) variisque & vndique circumfusus molestiis Carolus Lotharingus vnica mihi leuatio fuit. Henricum Regem docuit, omnibus temporibus in philosophia liberum cuique fuisse, pro quo & contra quæ vellet dicere, philosophiamque aliter absolui non posse: Platonē in Zenone, Parmenide, Democrito, superioribusque aliis quædam probasse, quædam improbasse: Aristotelem in Platone, Theophrastum in Aristotele, deincepsque in aliis alios, donec Philosophiæ vera studia viguerunt, eandem libertatem secutos esse. Quod si reiiciendis malis, seligendis bonis in ea diligentia diutius esset perseueratum, futuram perfectiorem philosophiam fuisse. Itaque referente Carolo Lotharingo & causam agente, per Henricum Regem liberati & restituti sumus, & quatuor annos postea pacatis studiis vsi sumus. Tādē hyeme proxima, cū reus in iudicium vocarer, quod eloquentiam cum philosophia coniungerem, qua

bonitate animi & æquitate re tota & cognouit & expediuit? Vnius primū accusationē grauissimā audiuit, me Academicū nominātis, & inaudita calumnia describentis, humanarū diuinarūque rerum hostem & inimicum, qui de humanis diuinisque legibus dubitarem, deque iis dubitare discipulos meos docerem, qui lubricos diui Augustini locos meis auditoribus ad effrēnatam & impiam libertatem proponerem, qui (quo facilius incautis animis abuterer) omnes logicas disputationes tollerem. Quæ cū mihi Cardinalis in coena recitasset, ad eaque respondere iussisset. Hei mihi, Mecœnas, inquā, quid audio? Vnde maleuolentissimus calumniator quisquam tam impiam fraudem comminisci, in quibus nostris vllis factis, dictis, vel leuissimam tantæ calumniæ suspicionem inuenire potuit? Nullam enim Academiā, nisi veris & vtilibus grammaticæ, rhetoricæ, philosophiæque vniuersæ præceptis, nisi Reipublicæ nostræ, nisi religioni Christianæ congruentem & consentientem habemus, neque scimus, neque probamus: quin cōtra tam absurdum, tamque commētitium Academiæ nomen, artium (in quibus adhuc versati sumus) veras & vtilis partes præceptis affirmamus, exēplis illustramus, vsu & exercitatione quotidiana celebra-

mus : tantum abest vt de ijs dubitemus, vel alios dubitare doceamus. Libros nostros poëtarum, oratorum, philosophorum familiaribus exemplis refertos tibi dicauius, lubricos Augustini locos nō citauius, nec vllum in tota Academia gymnasium esse arbitror, in quo logicæ disputationes diligentius exerceatur. Quare Mecœnas, per sanctissimum iustissimūque viuentis dei numen, virtutem tuā excita, & à tam horribili, tamque tetra calumnia innocentiam nostram libera. Ista, ista crimina sunt, quibus opprimimur, nisi nobis opem tuleris. Hic, Auditores, optimi generosissimique Cardinalis animum tanta atrocitate vehementer offensum vidi. Itaque in proximū diem causse disceptationem à Senatus præside postulauit, & tamen domi prius aduersarios meos, absente me, patienter audiuit, quos cū sine causa tantopere commotos animaduerneret, accersiri me & singulis eorum argumentis satisfacere iubet. Ego verò & libenter & constanter satisfeci: hominum iratorum vanos & inanes tumultus ostendi. Meminerunt qui tum adfuere, qua verborum gravitate & veritate Cardinalis accusatores acceperit. Pari constantia postridie iudex in foro tres ferè perpetuas horas cōsedit, & Christophorum Toutteum appellationis nostræ partes eleganter & or-

natè defendentem, Iacobum Fabritium pro discipulis nostris liberè fortiterque contēdentem, Dionysium Riandum pro dubiæ causæ inopia & infirmitate, copiose tamen & vehementer oppugnantem: Petrum Seguierium regium Parisiensis Senatus oratorem sapienter & magnificè de Reipublicæ commodo perorantē auscultauit, tandemque cum Senatu vniuerso cēsuit, primū, vt discipuli nostri in pristinum & integrum statum restituerentur: deinde quod ad disciplinam attinet, vt dierum ordinariorum præcipuis horis philosophia prælegeretur, eamque prælectionem poetarum & oratorū exemplis illustrare, reliquis eorundem dierum non præcipuis horis, itēque totis diebus extraordinarijs, ac festis poetas & oratores, omnesque eloquētes authores, pro philosophiæ, quæ tum tractaretur genere, prælegere liceret, quæ nostra de coniungendis eloquētiæ & philosophiæ studijs, tā diuturna cōtentio fuit, Improbissimèq; mēritus est, qui iis cōtraria impudētissimè prædicauit. Ergo, Mecænas, hoc iudicio sanctissimè cōstituto studijs nostris otium & pacem, philosophiæ studiosis philosophiæ sinceritatē & veritatē cōstituiisti. Tantū verò tamque infinitū beneficiū vbi Parisiensis Academia (quod breui futurum confido) cognouerit, te non nostrum, sed suum Mecænatem nominabit, non solum te Cardinalibus illis

antiquis Simoni, Aegidio, Ioanni, Gulielmo legislatoribus nostris cōparabit, sed in Carolo Lotharingo Carolum Magnum cōditorem suum diuinitus sibi redditum iudicabit, qui rudia & inchoata veteris Academiæ initia formares & absolueres. Quæ cum ita sint, Auditores, & mea & publica caussa Carolo Lotharingo maximas gratias ago, quòd in meo nomine hæc Vniuersitatem, velut Vniuersi orbis quandam ciuitatem tantis bonis affecerit. Attamen quòd huius professionis locum nobis impetrarit, multo maiores agere debeo. Etenim Academiæ grauissimis, de quibus in defensione dictum est, malis vindicandæ potestatem summi Senatus authoritate confirmatam assequi, amplissimus bene de hominum genere merendi campus fuit. At huic etiã potestati regium præmium decerni, fructum dignitatis & honoris institui, quantum mihi, quàmque magnum sit in iucundissimo & optatissimo grauissimæ contentionis exitu, verear ne sit inuidiosum dicere, si meum magis, quàm vestrum beneficiũ putarem. Verùm sic existimare debetis à Carolo Lotharingo, non tam mihi professionis regię locum quæsitum, quàm vobis & Academiæ Parisiensi professorem regium & gratuitum esse comparatum. Meus erit in hac professione labor, laboris fructus

vester erit. Quamobrem, Auditores, cōmuni Me-
 cœnati communes mecum gratias agite, Carolum
 Lotharingum intimis animis accipite, amate, co-
 lite: quantūque is annis crescet, ei tanta authori-
 tatis incrementa desiderate. Quantū enim ille au-
 thoritate creuerit, tantū laudanda literarum stu-
 dia vigeant ac floreant. Academiam Rhemen-
 sem optimis initijs fundavit, patriam sempiterno
 beneficio decoravit & ornauit: meminit tamen
 se. Academiae Parisiensis alumnū esse, & ex eius
 tāquam matris vberibus prima suæ virtutis ali-
 menta suxisse. Ideoque charitate & pietate mi-
 rifica sustentat, & quibuscunque modis licet, ad-
 iuuat. Quare Mecœnas vt homines quampluri-
 mos, vt potius orbem terrarū maximis bonis com-
 pleas, macte animi virtute esto, potentiæque ma-
 gnitudine, non iam Cardinalis, sed Cardinalitij
 gregis pastor, cardines ouilis Christiani concludi-
 to. Actiones gratiarum, Auditores, non quas per-
 sonarum grauitas postulabat, sed quas ingenij no-
 stri mediocritas tulit, peregimus. Pars orationis
 altera mihi superest de muneris officiūq; nostri ra-
 tione, quo loco omnium vestrū æquitatem po-
 stulo, oro, obsecro. Enimuero, vt Demosthenes ait,
 ὡς περ ἂν ἐν πλοίῳ τῶν μὲν ἰσίων, τῶν δὲ κώπαις ἀπο-
 φαινομένων κομίζεσθαι, λέγεσθαι μὲν ὑπὲρ ἀμφοτέρων

ἔων ἅπαντα ὑπὸ σωτηρίᾳ, γένοιτο. ὅτι τὴν χρείαν πρὸς
 τὰ συμβῶντα ἀπὸ τῆς θαλάσσης: Quemadmodum in
 nauigio quanuis alij velis, alij remis nauigādum
 esse censeant, vtrique tamen ad salutem dicunt
 omnia, res verò pro deorum voluntate succedunt.
 Vna omnium huius Reipub. ciuium de communi
 salute voluntas fuit, philosophicum curriculum
 multis malis liberari, contrariis bonis augeri om-
 nes volebant, sed alij alium nauigationis cursum
 tenebant, & quod plerunque fit in populari deli-
 beratione, vt non qui optimè moneat, sed qui cæ-
 teros clamore vincat, audiatur: sic ea quæ pro mea
 parte ad hanc publicam consultationē afferebam,
 audita non sunt, quanuis illa ipsa nauigationis es-
 set via, quam omnes summis votis exposcebant,
 quam etiam Academia nostræ leges, Regiæ &
 Pontificiæ, altera de modo philosophiæ declaran-
 dæ, altera de eloquentiæ & philosophiæ coniun-
 ctione, nobis ostendebant: lex prior multis malis
 Academiam liberabat, lex posterior multis bonis.
 Academia augebat. De quibus quia multis ver-
 bis in defensione nostra disputatum est, breuiorem
 quandam rationem duntaxat afferam, nec dispu-
 tandi, cum res conclusa & perorata sit, sed conci-
 liandi & placandi causa dicam, ne cuiquam gra-
 tia potius, quàm æquitate summa iudiciū factum

esse videatur. Prior ergo lex iubet remotis pennis
& calamis philosophiam perpetua voce raptim
» declarari, Secundum quem modū, ait, fiunt ser-
» mones in vniuersitate, & recommendationes, &
» quē lectores in cæteris facultatibus insequuntur.
Hæc verba legis, Auditores, in animis impri-
mite, & ante oculos ponite: quod tantopere fuit in
controuersia caussaque positum, quomodo docen-
dus Aristoteles. An omnes Aristotelis libri lege
prescripti in philosophico curriculo ad verbum
prælegendi, vt aduersarij voluerunt, an potius ex
præcipuis capitibus & necessariis tantum senten-
tiis cognoscendi & explicandi, vt consuluimus.
Quæstionē hanc lege definiri dico, cum lex Aristo-
telis libros raptim eo modo explicari iubeat, quo
tum cæteræ facultates, suam quæque doctrinā ex-
plicarēt. Quomodo igitur Theologorum conciones
à ducentis annis (quibus facta lex est) Lutetiæ
habitas arbitramur? Præcipua, & quæ per se ru-
dis auditor difficiliter intelligeret, euangelij capi-
ta tractabantur, sicut ex veterum scriptis sermo-
nibus, quos lex appellat, & editis concionibus ap-
paret. Theologos etiam ipsi audiuiimus euāgelium
in aliquot capita partiri solitos, de quibus tota cō-
cione differerent: euāgelium ad verbum non ex-
plicabant, neque hoc tempore theologiæ discipulis

ad verbum vetus & nouum Testamentum, sed
vtriusque summa, summæque necessaria certis sen-
tentiis collecta capita discenda & disputanda
proponuntur, quibus informati, cætera per se com-
prehendat. Quomodo iuris interpretes in iuris in-
terpretatione à ducentis annis versatos arbitra-
mur? In sententia legis sic occupabantur, vt vel
hodie celeberrimi doctores insignia positæ legis
puncta interpretentur, legem ad verbum non per-
sequantur. Medicinam etiam nostra ætate qui
profitentur, non ex singulis Hippocratis & Ga-
leni verbis: sed ne libris quidem totis explicant.
Præcipuos tantum libros, & eos quidem plerun-
que breuiter contractos explicant. Ergo cætera-
rum doctores facultatum totos artium suarum li-
bros ad verbum non prælegerunt, neque modo
prælegunt: nec philosophi ipsi in hac Academia
Aristotelis libros ante Fabrum Stapulensem ad
verbum explicabant. Verum enimvero, quò faci-
lius quod dico percipiatur, ad minores artes de-
scendamus. Tempore quo lex ædita est, gramma-
tica per etymologiæ, syntaxeos, prosodiæ, ortho-
graphiæ partes digesta non fuit, vt nunc est, sed
multa Varronis, Prisciani, Diomedis, aliorum-
que grammaticorum volumina fuerunt, in qui-
bus quod vno verbo definiri poterat, libro inter-

dum vno tractabatur: idem à diuersis authoribus
necessariò sæpius iterabatur, cum omnes omnia
complecti vellent, variis aliquando & contrariis
opinionibus disputabatur, reprehensionibus & al-
tercationibus cōfundebatur. Hæc volumina pue-
ris prælegere labor infinitus fuisset. Regulæ igitur
ad scribendum & loquendum, id est, ad gram-
maticæ finem & vsum necessariæ per eorum
grammaticorum doctores & interpretes subdu-
ctæ sunt: res vna perspicuè & semel exposita est,
cætera tam proluxa sunt omissa, & grammatica
ex præcipuis grammaticorum punctis informata
breuiter est, vt tantæ prolixitatis vix iam cente-
sima pars grammaticæ discipulo relinquatur, nec
omnino iam Varronis vel Diomedis authoritas:
sed vsu confirmata artis veritas allegatur. Ante-
quam Arithmetica, Geometriæque tam accuratè
constitissent, opiniones variæ & dissidentes, &
multis libris & disputationibus controuersæ fue-
runt, quas iuuentuti tradere fuerat permolestum.
Itaque certa rerum scientia abiectis hominū con-
tentionibus, retenta est, nec iam citatur hîc ho-
minum opinio, sed certa cognitio demonstratur.
Quare quam doctrinæ prudentiam in grammati-
ca, arithmetica, geometria adhibitam videmus,
eandem lex Academiæ nostræ in philosophicis

libris explicandis requirit, nec ad verbum totos Aristotelis libros prælegi iubet, sed cōtrā ex præcipuis & necessariis eorum sententiis, philosophiæ scientiam colligi: aliarum facultatum exempla proponit, quæ sectemur & imitemur. At hanc veterem legem Cardinalis Touteuilleus anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo abrogavit. Imò verò confirmavit, & manifestis verbis explicavit, tantum abest ut abrogarit, ut improbo mendacio nobis obiectum est. Sic autem

» loquitur, Mandamus & districtius in virtute
 » sanctæ obedientiæ præcipimus omnibus ac singu-
 » lis magistris regentibus & docentibus, quatenus
 » circa textum Aristotelis scholaribus suis expo-
 » nendum de puncto in punctum intendant, siue de
 » capitulo in capitulum diligenter commenta, &
 » expositiones philosophorū & doctorum studeant
 » & exquirāt, ita quod lectiones suas elaborato stu-
 » dio suis discipulis ore proprio dicant & pronun-
 » cient. Disiunctione igitur, Auditores, Touteuillea
 lex utitur, & ex veteris legis præscripto præci-
 pit, non ad verbum philosophicos libros declara-
 ri, sed è philosophorum libris præcipua pūcta, ca-
 pitāque necessaria exponi, eiusque expositionis
 duos modos ostendit, ut diligens præceptor per se-
 ipsum philosophicos libros expendat, punctāque

b. ij.

illa necessaria excutiat, & colligat excussa, & collecta discipulis tradat, ut ante Despauterium, Alexandrum, Maximianum, aut etiam his superiorem alium maiores nostri in grammaticorum libris fecere, vel interpretes, qui id iam fecerunt studiose cognoscat, eorumque industria adiutus idem faciat, sicut hodie ex regulis à Despauterio collectis grammaticam docemus, ut in noua lege nil intersit philosophiæ scientiam ex philosophi libris & verbis per te colligas, an ab interprete alio iam collectam sumas, & discipulos doceas. Quare ex nouæ legis scripto & sententia duplicis interpretationis disiunctionem habemus, ut philosophiam siue nostra, siue alterius interpretis opera collectam de puncto in punctum, de capitulo in capitulum, ut lex loquitur & iubet exponamus. Est verò perridiculum, Auditores, quod hoc loco nobis obiicitur, leges Academiae nostræ Francico idiomate factas, & Francica lingua punctum idem significare quod verbum, & de puncto in punctum idem esse quod de verbo ad verbum. Enimuero ad theologos, iureconsultos, medicos redeamus, eosque interrogemus, an quo tempore lex condita est ad verbum totos artium suarum aucthores & libros explicarent. Sed tamē operæ precium sit, quia de linguæ proprietate contendimus,

nutrices, patres, matres, populúmque totum Francicum suæ linguæ magistrum audire, qui cum in bono vel malo puncto quempiam esse dicit, an non in bona malæue valetudine aut fortuna, sed in bono aut malo verbo esse significat? cùm dicit aliquid benè malæue ad punctum venire aut fieri, item punctum dici, an non occasionem, tempus, opportunitatem, crepusculum, sed verbum significat? Age verò, veniamus in forum, si populo contenti non simus. Hic Francica lingua puriore nostrates oratores vtuntur. Puncta causse duo, tria, præcipuum causse punctum, ad singula causse puncta respondere cum dicunt, an non causse partes duas, tres, statim causse, ad singula capita aut singulas partes respondere, sed causse verba duo, tria, præcipuum causse verbum, ad singula causse verba respondere significat? O hominem in aliena lingua audacem, qui nescio cuias, peregrinus & aduena, saltē erubescas domesticos & vernaculos sermonis nostri sensus tam impudenter emētiri. Marcellus grammaticus cum ex oratione Tyberium reprehendisset, affirmāte Atteio Capitone, & esse illud Latinum, & si nō esset futurum certē. Iam inde mentitur, inquit Capito: tu enim Cæsar ciuitatem dare potes hominibus, verba non potes. Ergo impe-

b. iij.

ratori Romano in sua ciuitate nullo cuiusquam incommodo Verbi significationem nouare non licuit, barbaris nescio quibus ad summam legū nostrarum perniciem licebit? Atque etiam in illo legis loco, & De puncto in punctum, siue de capitulo in capitulum) calumniator noster barbara nescio qua grammatica interpretatur disiunctione (siue) per copulationem (verò) & legem nobis præcipientem fingit, Textum Aristotelis de verbo ad verbum exponendum, expositiones verò interpretum de capitulo in capitulum exquirendas, & corrupta duorum verborum germana & vera significatione, ex manifesta disiunctione absurdissimam copulationem falso confingit, & tamen nobis tanquam falsariis & legum corruptoribus laqueos minitatur, quos tam perditis calumniis demonstrat se commeruisse. Quamobrem noua lex legem veterem explicat, & vtraque lex manifestis non solum verbis, sed sententiis imperat ex philosophicis libris necessarios & utiles locos seligendos esse, eosque iuuentuti proponendos, quod in deliberatione publica pro mei consilij parte dicere volui. At cōtra philosophum tam acerbè dicere facinus audax fuit. Primum siquid in summo illo iuuandæ Reipublicæ ardore vehementius & asperius Aristotelicæ animad-

uersiones æditione prima habuerunt, æditione secunda non habuerunt: inhumanèque facit si quis iam priora illa criminatur, seque humanitatis expertem esse confitetur, qui humani alienum esse arbitratur, posteriores homini cogitationes prioribus sapientiores accidere. Sed tamen contra philosophum dicere, facinus audax fuit. Quemnam verò philosophum? Platonemne? At Aristoteles etiam viuum reprehendit, non solum mortuum indignis modis labefactauit. Aristotelemne? Quis tibi magis calumniando Platone licet Aristotelem sequi, quàm nobis Aristotelis libros examinando Platonem tueri? Nunquam verò Platonem apud doctos homines Aristotele minorem iudicaui. Quod si quibusdam nondum persuasum est, ex utriusque philosophi comparatione, quam biennium ferè iam meditor, persuasum iri confido. Plato singulas artes non docuit, artes tamen omnes, sicut eius philosophia indicat, habuit: summamque artium multarum principia sermonibus suis expressit. Artes præceptis esse distinguendas, suum cuique opus, suam cuique facultatem esse, regulas earum proprias, veras, vtilis, semel tantum & perspicuè tradendas, dialecticæ partes esse duas, Inventionem & Dispositionem: Rhetoricam (quæ tum tractabatur) artem vnā non esse, sed verb. iiij.

ram tractandarum ciuiliū caussarū virtutem ex singularum artium perceptarū vsu & veritate constare. Platonis igitur non tam auctoritatem, quā veritatem sequutus, rhetoricam & dialecticam, in quibus temporis plurimum posuissem, distinguere coepi, & vtriusque non solum propria: sed vera vtiliāque praecepta separare, semel duntaxat explicare & ordinare, impropria, falsa, inutilia reiicere, quod summam Platonis praecepisset, id singulis partibus exquirere & disceptare, denique grauissimā Platonis auctoritatē ad nostrae legis auctoritatem adiungere. Quod cum facerem, inconstantiam, quod in nobis imperite reprehensum est, esse non credidi, quae mihi in Aristotele, Cicerone, Quintiliano Dialecticae & Rhetoricae propria, & ad rationis atque orationis fructum vera vtiliāque viderentur, approbare & laudare, contraria secludere, & Appellius exemplo, positis propalā tabulis hominum monita iudiciāque auscultare, quotidieque melius aliquid & perfectius exquirere. Quae cum ita sint, Auditores, quae de Dialectica & Rhetorica in dialecticis Institutionibus, Aristotelicis animaduersionibus, Brutinis quaestionibus, Rhetoricis Distinctionibus ad Academiam multis malis liberandam disputavi, non ex nouo aliquo meo

sensu, sed antiquissimo probatissimoque nostræ legis monitu atque hortatu disputavi, & publicæ calamitatis remedium ex publica nostræ legis medicina petendum esse consului. Quamobrem hæc vna lex quid ex totis Aristotelicæ philosophiæ libris inuentati tradendum sit, verè & sapienter admonet. Tota philosophia Aristotelis eiusdem dogmatis iteratione referta est, lex vnam rem semel & perspicuè explicari iubet: permultas argutias subtiles quidem, sed inutiles habet, lex omitti iubet: maximam partem falsarum, aliquando etiam ab Aristotele ipso fictarum opinionum refutationes continet: lex ab artis veritate contentiones secerni iubet, & sicut ex Grammaticorum, Arithmeticorum, Geometrarum commentariis Grammaticam, Arithmeticam, Geometriam collectam esse dixi: sic ex philosophorum libris philosophiæ doctrinam colligendam esse iubet, atque vt in foro ex magnis aduersarum partium concertationibus iudex quod verum iustumque sit, elicit: sic in philosophia ex tam multis disputationibus veritas rerum scientiæque exprimatur, & res òp pronuncietur, nec perpetuò litigetur. Sed de priorē lege satis, ad posteriorem venio, quæ cum philosophiæ studia cum eloquentiæ studiis coniungit, exercendæ & illustrandæ philosophiæ

b. v.

non tantum eloquentiæ confirmandæ modum ostendit. Iubet tribus annis minimum Grammaticam cognosci, deinde triennio & sex mensibus politiores humanitatem cum philosophia percipi. Hanc legem neque nova lex ulla, neque contrarius centum annorum mos, ut quidam improbe commenti sunt, abrogavit. Recetiores enim omnes leges pueros in Grammaticis eruditos esse iubent, antequam ad philosophiam accedant, & lex vetus triennium imperat: & adhuc vivunt, qui conjunctionem veteri lege præscriptam in philosophico curriculo viderunt: & quod anno superiore de sophismatis & questionariis cum philosophia poetarum & oratorum loco coniungendis, coitione nescio qua factum est, Senatus derisit & damnavit, & iis reiectis eloquentiam cum philosophia coniungendam esse censuit. Quare lex ab Academia nostræ conditoribus posita, consequutis postea legibus nullis abrogata, sed perpetua tot annorum continuatione confirmata, vera & authentica lex est, & quatuor maximarum commoditatum causa est, quas quia in defensione nostra copiosissime disputavi, breviter hîc attingam. Omnium artium exercitatio duabus rebus continetur, exemplis primum, deinde imitatione exemplorum & exemplis etiam præstatiore opere;

sic picturæ, Grammaticæ, aliarumque artium exercendarum prima via est in præstantibus exemplis, in quibus artis varietas & virtus à doctore demonstratur: deinde ubi discipulus cognoverit, quomodo summi authores arte & præceptis utantur, imitando sic pingit, sic loquitur & scribit, per se aliquid vel excellentius conatur & efficit. Ergo cum omnium argumentorum, syllogismorum, methodorum, omniumque philosophiæ uniuersæ partium exempla sint in poetis & oratoribus, in philosophis, omnibusque sapientibus & ornatis authoribus, eaque nobis spectanda & imitanda lex proponat, materiam imprimis exercendæ Dialecticæ & fructum nobis proponit. Hæc prima commoditas est: deinde eloquentiæ gratuitam non solum confirmationem, sed amplificationem proponit. Nam cum de industria solum dialecticum artificium tractabimus, quoniam exempla illa non solum dialectica, sed grammatica sunt & rhetorica, cum more Demosthenis, Ciceronis, Homeri, Virgilij, Platonis, Aristotelis, differere discemus: eadem opera, imò nulla opera purè loqui & ornatè dicere consuescemus. Hæc secunda commoditas est. Dixi quemadmodum prima lex philosophiam uniuersam purgaret, purgationem illam & illustrationem secunda lex vehementer

adiuuabit. Vfus enim coniunctus tanquam lapis
Lydius erit ad probandum quid vtile fuerit, quid
inutile. Hæc tertia commoditas est. Postrema est
commoditas de compendio vniuersi ferè triennij,
cùm vno triennio lex iubeat philosophiam &
eloquentiam doceri, quæ vtraque magno vtrius-
que dispendio duobus trienniis separatim ab an-
nis nescio quot tractari coeperat. Has inquam
quatuor maximas commoditates, vsum dialecti-
cæ, amplificationem eloquentiæ, illustrationem
philosophiæ, compediariam magni temporis bre-
uitatem secunda lex nobis afferet, lex Regia, lex
Pontificia, lex Platonica. Etenim, Auditores, per-
mittite mihi vt à Platone, id est humanæ sapien-
tiæ primo summoque principe, tãtorum bonorum
authoritatem nostrarũ legum authoritati cõsen-
tientem repetã. Φιλοσοφία inquit apud Platonem
Socrates, οὐκ ἔστι πολυμαθία. ὁ δὲ ἔ φησὶ φιλογυμνα-
σία ὅτι πολυποντία. Philosophia nō est multarũ re-
rũ sciētia: neque enim philogymnasia multorũ la-
borũ est tolerantia. Itaq; reprehēdit Solonis illud,

Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμηνος.

Senesco autem assiduè multa addiscens.

Atque Socrates etiam cum Delphici oraculi (quo
sapientissimus erat appellatus) rationem in om-
nium hominum qui sapientes haberentur genere

disquireret, opifices solos qui brevia suarum artium, perque manus sibi tradita compendia breviter ediscerent, exemplis, exercitatione, usuque perpetuo confirmarent, opifices inquam, solos sapientiæ alicuius participes esse comperit, & in definienda philosophia negat artium finem artificij cognitione contineri: artificij opere atque actione contineri cōfirmat: & in Republica philosophos cognitionis participes, actionis expertes appellat νότους, χωλοὺς, ἀναπηροὺς, spurios, claudos, mancos, verosque philosophos esse vult ἀρετῶμελεις τε καὶ ἀρετῆτρονᾶς, membrisque & animis rectos & integros. Ergo secunda lex non tantum regia, pontificiæque, sed etiam Platonica est, quæ non est vel perspicua & compediaria artium cognitione contenta, quam prior lex afferebat: sed cognitionis actionem & exercitationem multò magis requirit, in eaque philosophiæ laudem constituit. Verendumque nobis est, si diutius tam cōmodæ legi resistamus, ne Socrates aliquis denuò fabros, textores, coquos, fartores artificia sua lautius & melius quàm philosophiam philosophos tueri conquerratur, si opifices compendiariā artem, artis usum summū perpetuūque, philosophi prolixam & perpetuā artem, artis usum nullum habeant: verum enim vero ad tantas commoditates, ad tantas

authoritates aduersarij nil respondent, sed indissolubile videlicet argumentum, cuique responderi nullo modo possit, obiciunt. Aristotelis, inquiunt, perfecta demonstratio, id est affectionis ex æternis propriisque causis de suo subiecto vniuerse affirmata conclusio, in poëtis & oratoribus non inuenitur. O rem ridiculam & imperitam! Quid mirum, inquam, est, quod Aristotelis commẽtum in tota Aristotelis ipsius philosophia non inueniatur, in poëtis & oratoribus non inueniri? Dicam verò quod quibusdam mirabilius fuerit, non modò in libris Aristotelis, sed in totis Euclidis mathematis talem demonstrationem nullam inueniri. Si quis nos refellere velit, exemplum non à se fictum & compositum, sed ab Euclide sic formatũ & expressum proferat, tum erit nostrum videre an ad Aristotelicæ demonstrationis definitionem conueniat, an argumentum causa sit æterna & affectionis demonstrandæ propria, an tota ratiocinatio figura sit & modo conclusa. Quare si nusquam fictæ huius demonstrationis exemplum reperiatur, an ideò protinus Dialectica nusquam erit? an non solum in poëtis & oratoribus, sed in ipsis quidem philosophis nulla erit? Sed finge alicubi inueniri, demonstratio tamen hæc vnicum argumenti in Dialectica, quasi vnicum nominis in Grammatica genus est. An igitur si

nomen aliquod in Cicerone non fuerit, si argumentum aliquod in eodem non fuerit, Grammatica protinus & Dialectica non erit? At in poëtis & oratoribus Dialectica puerilis est. Fuerit. An non idcirco pueris, id est rudibus & novitiis initio proponenda? In mathematicis quæ succedunt solidior ostendetur, in Physica, medicina, iurisprudentia, theologia, id est reliqua vita, copiosior & vberior apparebit: & ut naturalis rationis, sic Dialecticæ, id est rationalis artis usus in pueritia puerilis, in virili ætate virilis, in senectute senilis erit. Multæ similes nugæ contra nos à calumniatore nescio cuius doctrinæ non imperito productæ sunt, quibus si respondeam, verear ne ipse nugatorius & vanus appaream. Quamobrem quod instituimus, dicendum & concludendum est: duabus legibus, de modo philosophiæ docendæ, de modo philosophiæ cum eloquentia tractandæ & exercendæ, salutem & incolumitatem Academiæ contineri, atque ab his legibus monstratam liberandæ multis malis, ornandæ multis bonis Academiæ viam in communi omnium nostrum deliberatione dicere volui: auditus in Academia ipsa non sum, sed quasi legibus seruandis & promouendis leges ipsas, quod ab iratis & imperitis hominibus contra nos tantopere concla-

matum est, violare & corrūperem, in illo tumultu pulsatus & penè oppressus sum. In quo tamen tantum abest vt quenq̃ accussem, vt meam ipsius negligentia accussem, quia singulos (cum ab vniuersis audiri nō possem) in tumultuāte nauis nauitas nō adierim, quia remissius & tardius tantam causam procurarim. Quinetiam si quid hīc quod humanū est, ignorantia peccarem, poenam illam ignorantī debitam, quā Thrasymacho de se Socrates aestimauit, semper optaui, id est refelli, coargui, conuinci, à sapientiore denique doceri. hoc supplicij genus ab aduersariis miser assequi non potui: turbare, vexare, traducere voluerunt, meliorem & doctiorem facere noluerunt. Omnium probrorum contumelia publicis & priuatis ludis traductus sum, nil respondi, patienter tuli, artium vitia, non hominum odia conuincenda mihi proposui. Velut impius notatus sum, quòd in Aristotelis libris locos impios Christianis animis cauendos esse dicerem. At hoc lex Academiae nostrae anno 1271. lata nominatim dicit, & Aristotelica religio ac pietas in comparatione Platonis & Aristotelis latissimè patebit. Nouus inauditi generis Academicus, humanarum diuinarumque rerum hostis & inimicus, vt initio dixi, definitus sum, tam sceleratae calumniae, tamque

*impie fraudis authorem hodierno die coram deo
& hominibus accuso, ab eoque nominis nostri
tam nefarie violati rationem repeto. Derisus sum
quòd in meis periculis deum orarem: at sincera
mente oraui, & ut spes est, magno Reipublicæ
bono exoraui. Periurus appellatus sum, quòd præ-
clarum illud decretum de sophismatis & quæstio-
nariis à Senatu derisum, ut dixi, & damnatum
non seruarem, cum tamen in Academiæ leges iu-
rasssem. Ego verò cum verissimo iureiurando in
Academiæ salutem iuraui, in Academiæ perni-
ciem ex sophismatis illis concretam non iuraui.
Carbonarius pater probri loco nobis obiectus est.
Auis certè in Eburonum gente familia impri-
mis illustri fuit, sed patria à Carolo Burgundio-
num duce capta & incensa in Veromanduorum
agrum profugus ob paupertatem carbonarius
fuit, pater agricola fuit, utroque etiam paupe-
rior fui, & sic à malo diuite nescio quo generis in-
genui paupertas in nobis accusatur. At Christia-
nus sum, nec vnquam paupertatem malum puta-
ui. Aristoteles non sum, ut difficile putem esse
præclaras res agere cui magnæ opes desunt: Fortu-
næ necessitate coactus multos annos duram serui-
tutem seruiui, animo tamen nunquam seruus fui,
animum nunquam despondi, vel abieci. Ergo*

Deus Optime Maxime, qui potes è lapidibus suscitare filios Abrahæ, suscita in Carbonarij nepote, Agricolæ filio, tot indignitatibus afflicto, non magnas opes magnamque fortunam, quibus ad instrumenta professionis meæ atramentum, chartam, pennam non admodum opus est, sed tota vita mentem rectam, perpetuamque diligentiam & industriam: mihi que ad tuam laudem, ad Academiæ salutem, quam diutissime in muneris mei fornace sudare, in aratro laborare, bonorum omnium & sit & videatur esse maximum. Sed de iis satis vel etiam plura quam cogitarem, tandem peroremus. Deliberationis & consultationis exitum Senatoria Regiæque auctoritate consequuti sumus, opus ipsum aggrediendum & peragendum est. Quare agite, Auditores, tam salutaribus legum nostrarum, nostri Senatus, Regis etiam nostri consiliis & mandatis freti vela ventis pandamus, & ad propositum deliberatæ & constitutæ navigationis portum contendamus, perspicuam compendiariamque artem, ut prima lex admonet, sequamur: compendiariæ artis, ut secunda lex iubet, usum summum consequamur, vel potius Socraticam opificum sapientiam initio imitemur, utque pistorum panis, sartorum vestis, textorum panni insignis opificio, pinsendi, sarcendi, texendi ar-

*tes docent ita nos dicendi disputandique artes, di-
ctionis disputationisque nobilis exemplo primùm
doceamus. Orationem Ciceronis breuem, sed rhe-
torica & dialectica præstātem selegimus, in qua
primo coniunctos viriusque artis fructus degu-
stemus, tum paulatim, quæ vestra requireret utili-
tas, assumemus. Dixi.*

P A R I S I I S

EXCVDEBAT MATTHAEVS

DAVID, QVINTO CALEND. SEPTEMB.

1551.